

plementi reperitur in adventu Christi, ubi gloria & cultus DEI veri insigniter crevit. Porro implementum hujus vaticinii factum est eo tempore, quo successive verus Dei cultus in toto mundo propagatus. Vaticiniorum implementa non in uno seculo, sed quandoque in plurimis reperiuntur.

PORISMATA

ex v. 13.

Dicit DEUS: se effecturum ut populi Medorum & Persarum combusturi sint ædificia Babylonæ & destructuri muros ejus. Ex quo discimus, DEUM punire populorum peccata in hoc mundo. Babylonii multas civitates combusserant, multosque muros diruerant; jam dicit DEUS, futurum esse ut Babyloniorum ædificia comburantur. Regna, & civitates in hoc mundo coalescant in corpora, sed in judicio extremo non comparebunt in eadem forma, sed singuli homines. Et DEUS non judicabit regna in extremo judicio, sed singulos homines. Inde est, quod DEUS regnorum & civitatum peccata variis judiciis puniat. Hoc loco videmus quod DEUS punire velit Babyloniorum peccata judiciis suis, combustione ædificiorum, destructione murorum, devastatione locorum.

ex v. 14.

Vaticinia divina suos habent certos eventus, licet hi in oculis hominum improbabilis videantur. Rex Babylonæ destruxerat Hierosolymam ejusque templum, vasa ejus spolia erant hostium, populus erat captivus in Babyloniam abductus, nulla Judæis apparebat spes redeundi in patriam, ædificandi denuo urbem & templum, videndi Messiam promissum. Sed DEUS promittit per prophe-